DE CHOREA SANCTI VITI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... CUM...

Giovanni Battista Moretti

DE CHOREA SANCTI VITI

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NECNON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.[RE] J. M. ZENDRINI
PROF. ORD. HISTORIAE NATURALIS

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Anno 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

MORETTI JOANNES BAPTISTA

CREMENSIS.

TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

PIIS MANIBUS

OPTIMI ATQUE DESIDERATISSIMI

PARENTIS.

MORBI DEFINITIO ET BREVIS HISTORIA.

Convulsio generalis, per quam omnes vel plures musculi voluntarii contrahuntur et relaxantur plane ad tempus musicae, a practicis fere omnibus *Chorea Sancti Viti* appellatur. Haec adfectio quoque *Saltus S. Viti* Plateri; *Saltatio* Sauvagesii; *Ballismus* Pluquetii; *Choreo-mania*, *Myotyrbe* et ab Italia *Ballo di San Vito* nuncupari solet. Quoties haec adfectio omnes musculos unius lateris aggrediatur *Hemiballismus* dicitur.

Veteres, nomine *Scelotyrbis*, morbum praesentem distinxere, atque in operibus *Plinii Junioris* et *Galeni* notiones hujusce morbi inveniuntur. Sub fine saeculi decimi sexti *Chorea* epidemico fere modo per universam Europam grassabatur, quemadmodum *Felix Plater*,

Horstius Senior, *Sennertus*, et alii testantur. In posterum *Cullen*, *Wytt*, *Dower* et *Mead* de hoc morbo fusius scripsere. Saeculo praeterlapso Angli, Galli, et Germani plurica de hoc morbo dissertarunt, donec anno pervolvente 1810 doctor *Bouteille* de *Chorea* classicam edidit monographiam.

AETIOLOGIA.

Licet Chorea adultis evolvi queat, tamen prae aliis pueros atque adolescentulos aggreditur. Temperamentum nervosum, irritabile; constitutio corporis delicatula; peculiaris conditio haereditaria potissimum Choreae disponunt. Climata calida, ver, et tempestas aestiva, atque vitae genus commodum, molle et otiosum utpote momenta disponentia hujusce morbi criminantur.

Inter causas occasionales Choreae, terror improvisus principem tenet locum. Onania, helminthiasis, vitae genus depravatum, cerealia corrupta, amenorrhaea, et elapsis temporibus abusus arsenicalium, quemadmodum tot causae efficientes Ballismi dijudicabantur. Practici diversi observarunt, praesentem adfectionem ab ira improvisa, zelotypia, epilepsia,

hysteriasi et gastro-enteritide originem duxisse. Observationes *Flourens* nos docent abusum veneris, irritationem et phlogosim cerebelli atque dein choream provocare posse. *Rufz* et *Bouteille* casus referunt Choreae quae a traumatibus capitis procedebat.

Chorea frequentius in latere sinistro quam in dextero observatur, licet hucusque nulla pateat conditio anatomica quae in hoc latere sinistro hanc dispositionem explicare valeat.

Chorea interdum more epidemiarum grassatur, quemadmodum tempore belli et annonae charitatis videre possumus.

SYMPTOMATA.

Phaenomena eminentiora Choreae sunt illa quae alteratam functionem musculorum voluntariorum patefaciunt. Haec phaenomena in generalia et partialia distribuuntur, prouti convulsio universum systema musculare, vel determinatas tantum corporis plagas aggreditur. Morbi initio, convulsiones apparent leves in hac, vel illa corporis parte, et solummodo libera atque perfecta motuum coordinatio impeditur. Paullo serius convulsiones vi et frequentia adaugentur; accessus qualibet vice per quin-

que horae momenta vel per horae quadrantem et amplius protrahuntur, et pluries in die recurrunt. Tunc pro diversa morbi sede, diversa etiam phaenomena praestant, unde a practicis *Chorea gesticulatoria*, *stataria*, *sedentaria*, *saltatoria*, et *rotatoria* distinguuntur.

In Chorea faciei physiognomia peculiari ratione alteratur; oculi fiunt collapsi, interdum truces, alias diplopia et vertigines superaccedunt. Risus involuntarius; masticatio irregularia et impedita; suctus difficilis vel impossibilis, aut ipse spasmus cinicus exoriantur. Quod si Chorea ad musculos linguae, laryngis, aut pharyngis protendatur, tunc loquela, deglutitio et ipsa respiratio impediuntur. Pelvolvente Chorea *stataria*, atque *sedentaria*, convulsiones musculorum solummodo tempore sessionis atque stationis superveniunt.

Dum Chorea artus inferiores aggreditur duplici manifestatur modo, videlicet sub forma Choreae *rotatoriae* vel *saltatoriae*. Primo in casu aegrotantes tempore accessus absque nutu voluntatis in girum impelluntur, altero vero continuo saltus inordinatos adinstar caprarum absolvunt.

In Chorea unius lateris corporis, non raro convulsio omnes musculos alterius lateris af-

ficit adeo ut, exactissime lineam medianam sequatur.

Chorea Sancti Viti non modo musculorum irritabilitatem perturbare solet, verum etiam sensibilitatem, atque diversas functiones vitae animalis et plasticae pessondare valet. Aegrotantes qui Chorea laborant generatim fiunt morosi, tristes, iracundi, meticulosi. Fere semper pondare et doloribus ad occiput, et nucham queruntur. Facultates intellectuales et affectivae imminuuntur intensitate, atque obnubilantur, et praeprimis memoria atque judicium patiuntur. In aliis individuis dyspepsia, bradypepsia, cardialgia, cephalalgia frontalis, dysuria, alvus oppilata at imbecillitas totius systematis muscularis in scenam veniunt. Non desunt casus in quibus levis febricula ad temporis intervalla complicatur.

Mutationes atmosphaericae nonnisi perraro incommoda Choreae exasperare solent.

Relate ad prima morbi exordia, acimus generatim convulsiones determinatam solummodo invadare regionem, et praeprimis partem superiorem vel etiam inferiorem ejusdem artus praediligere. Inposterum convulsiones pedetentim novas occupant partes, et quandoque universum corpus, morbo ingravescente, aggrediuntur.

Decursus Choreae continuo - remittens observatur; quandoque perfectam intermittentiam modo anomalam, modo regulariter periodicam morbus ipse ostendit. Fere semper convulsiones adaugentur intensitate quando aegrotantes observationibus adstantium exponantur. Animi pathemata diversa et praeprimis ira, terror et amor intensus morbum praesentem exasperant. Observationibus pariter confirmatum est sub usu stimulantium et spirituosorum, convulsiones graviores fieri. Generatim dum somnus invadit motus convulsivi imminuuntur, vel ex integro silent; ast statim ac aegrotantes exspergefiant denuo pristina vel etiam majori intensitate convulsiones renovantur. In infantibus et pueris Chorea gravi laborantibus non raro pervigilium molestum notatur, et omni solertia necesse est aegros sedulo sustinere, ne per lapsum eorum existentia periclitetur.

Quamvis chorea frequenter superveniat et gravibus symptomatibus incedat, nonnisi perraro universalem virium collapsum provocare solet. Somnus difficile aegrotantibus arridet; de more aegrotantes nullo dolore artuum queruntur, quamvis non desint individua quae ad temporia intervalla frigus molestum, dyspnoeam, et pectoris oppressionem accusare soleant.

Decursus ballismi summopere variat pro casus diversitate. Casibus felicioribus per unam vel alteram hebdomadam solummodo protrahitur; frequentius per tres et amplius menses continuat; aliquibus individuis per annos producitur, et nonnisi perdifficili negotio morbus eradicari potest.

Omnes practici in eo conveniunt quod chorea partialis, neglecta, eoque magis haereditaria vel a causa non removenda enata diuturniorem decursum ostendat quam chorea universalis et a causa accidentali producta.

Pervolvente chorea, plures et plures morbi complicari possunt; bujusce modi essent: exanthemata diversa, phloges pectoris et organorum digerentium, helminthiasis, ipsaque epilepsia. Generatim complicationes modo expositae choream graviorem atque diuturniorem faciunt.

Chorea pluribus individuis, licet semel devicta, maximam proclivitatem in recidivam ostendit eo quod per causas leves, et quandoque absque ulla nota causa, ballismus renovatur.

Vidimus choream decursum intermittentem et periodicum frequenter sibi vindicare. Accessus convulsivi, potissimum post prandium

et vespercescente die apparent. Accessus bujuscemodi qualibet vice per aliquot horae momenta, per horae quadrautem aut amplius protrahuntur, atque ter, quater et crebrius in die renovari solent.

Diagnosis hujusce morbi nulla premitur difficultate, etenim defectus febris, soporis, delirii, atque rigiditatis spasticae, illico primo intuitu choream ab aliis adfectionibus systematis cerebro-spinalis et nervorum distinguit.

Inficiandum tamen non est, choream gravem, neglectam, chronice decurrentem, atque recidivantem, post aliquot tempus in apoplexiam, hebetudinem, epilepsiam, paralyses, atque marasmum abire posse.

NECROSCOPIA.

In sectione cadaverum post Choream, mutationes potissimum quae adsunt in centris nervorum specialiorem attentionem merentur, ut conditio pathologica hujusce morbi melius innotescat.

Sed tamen non est inficiandum quandoque infantes et pueri Chorea Sancti Viti perempti nullam materialem alterationem in cerebro, cerebello, medulla oblongata et spinali, atque

in origine omnium nervorum cerebralium et spinalium ostendere. *Dugès*, *Ollivier*, *Guersent*, aliique reapse testantur etiam per inspectionem accuratissimam cadaverum interdum nullam modificationem pathologicam in fabrica encephali, medullae spinalis et nervorum distinxisse.

Casibus tamen frequentioribus diversae mutationes morbosae in centris systematis nervei observari solent. Doctor *Prichard* in pluribus cadaveribus collectionem serosam secus meninges medullae spinalis, nec non ingentem injectionem vasorum ipsius spinalis medullae distinxit.

Clarissimus *Serres* injectionem cerebelli et tubercula quadrigemina volumine aucta atque indurata observavit. Auctor ipse in quatuor cadaveribus Chorea peremptis, praeter tumiditatem injectionem et duritiem eminentiarum quadrigeminum, nullam alterationem morbosam in fabrica cerebri, aliarumque partium distinguere potuit.

Non raro substantia corticalis cerebri et medullae spinalis injectionem atque peculiarem hypertrophiam hinc inde patefacit, atque uno eodem tempore injectio luculentissima cerebelli et meningum medullae spinalis praestat.

Casibus frequentioribus in aegrotantibus Chorea detentis eminent dolor, ardor, et peculiaris defatigatio ad regionem occipitis et nuchae, atque sub cadaverum sectione injectio cerebelli, consistentia hujusce partis interdum aucta frequentius imminuta, nec non injectio medullae oblongatae et spinalis praestare consuescunt. Hae alterationes anatomicae valdopere sententiam clarissimi *Flourens* confirmare valent eo quod, docente hocce auctore, Chorea Sancti Viti ab irritatione aut ipsa phlogosi cerebelli procedit, et arte etiam sollicitari potest in animalibus vivis quoties per vulnus cerebellum afficiatur. Ad mentem *Flourens* cerebellum inservit pro motuum voluntariorum coordinatione, et in Chorea haec motuum coordinatio impeditur atque pervertitur. Sententia *Flourens* pro parte etiam doctrinis phrenologicis confirmatur, etenim secundum principia phrenologiae in cerebello praestat organon pro istinctu sexuali, et inter causas occasionales ballismi, onania, venus immatura, et abusus veneris principem certe locum sibi vindicant.

PROGNOSIS.

In Chorea Sancti Viti prognosis pro diversitate causarum, symptomatum, decursus, nec non pro diversis individui conditionibus modificari debet.

Chorea in pueris et adolescentibus ex omnia, aut venere immatura, facili oegotio obnubilationa facultatum intellectualium atque affectivarum complicatur, et nonnisi perraro omni intuitu devincitur. Quod si morbus ab helmiothiasi atque alimentis depravatis procedat, fere semper ablatis causis eradicatur. Caeteris paribus, Chorea judicium progoosticum magis faustum meretur quando est recens in infantibus, et causae morbificae auferri possunt. In puellis, interdum tempore pubertatis, dum menstrua regulariter evolvuntur, Chorea sponte resolvitur.

Ratione ad morbi symptomata, observationibus omnium practicorum confirmatum est, Choream universalem atque hemiballismum, facilius quam Choream partialem in facie vel aliquo artu devinci.

Morbo resoluto, per longum tempus in aegrotantibus remanet peculiaris sensibilitas adau-

cta, et maxima proclivitas in morbi recidivam notatur. Persaepe aegri qui Chorea antea laborabant per aliquot hebdomadas vel etiam per menses, motibus convulsivis recurrentibus oculorum, palpebrarum, alterius lateris faciei, aut alicujos partis corporis detineotor.

Casibus gravioribus, utpote supra vidimus, Chorea in morbos lethales vergit, et aegrotantes pedetentim atrophia, tabe, marasmo, chrooicis phlogosibus viscerum, alienationibus mentalibus, epilepsia, atqoe similibus aggredi queunt.

CURA.

Tractamen therapeuticum diversis superstruitur pharmacis, prouti variant auctores qui de hoc morbo tractarunt.

Sydenham io Chorea venae sectiones generales atque locales et purgantia suadet, eo quod arbitratur, praesentem morbom ab humore pecoliari cerebrum et nervos irritante originem agooscere. Idem auctor post aliquod tempus ad roborautia tonica coofugium habet, ut systema nervosum quodammodo depressom deouo erigatur.

Docente *Cullen*, solummodo phlebotomiae

et sanguinis depletiones locales in juvenibus plethoricis convenirent, et ipsa purgantia controindicantur, quoties symptomata generalis debilitatis emineant. In operibus Cullenii ad Choream devincendam praeprimis chinacea et martialia laudibus extolluntur.

Doctor *Bouteille* libenter sententiae *Sydenhamii* relate ad naturam et therapiam generalem Choreae subscribitur; attamen ipse candide fatetur in sanguinis depletionibus iterandis maxima prudentia incedendum esse, et potius quam phlebotomiam, narcotica atque antispasmodica suadet.

Observationes *Serres*, *Guersent* atque plurium Italorum nos docent hirudines pone aurea et ad nucham adplicitas, purgantia, et pediluvia sinapisata in Chorea acuta optime conducere. Quod si morbus chronicum decursum teneat, tunc parca manu cum hirudinum adplicatione incedendum est, et potius in usu purgantium atque revellentium fidendum erit.

Doctor *Strambio* praeter methodum leniter antiphlogisticam, in Chorea frictiones cum tartaro stibii speciatim secus vertebralem columnam commendat, quin tamen pustulae evolvantur. Hocce intuitu oportet singulis partibus, scopo simpliciter irritante, solummodo

unguentum per unam vel alteram vicem adplicare.

Praeter adminicula therapeutica modo exposita, in Chorea pervicaci et chronice decurrente balnea universalia, simplicia, marina, sulfurosa et martialia; emetica et prae caeteris tartarus stibii cum opio; aloes; gummi gutta; scammonium et jalappa suadebantur.

Devictis symptomatibus irritationis, phlogoseos, vel simplicis congestionis cerebelli et medullae spinalis, necesse est in Chorea chronica et pertinaci medicamina nervina atque antispasmodica consulere. Prae aliis valeriana, asa foetida, cuprum ammoniacale, flores zinci, subcarbonas ferri opitulari solent. Quod si haec omnia incassum adhibeantur tunc opium, acetas morphinae, acidum hydrocyanicum, cyanuretum ferri, belladonna, mosohus, camphora, praeparata mercurii, sulfas chininae, cantharides, et a Gallis ipsum Arsenitum potassae periclitantur.

Balnea frigida, et frigidae adspersiones, nostris temporibus in Gallia collaudatae, impraesentiarum fere ex integro negliguntur, etenim facili negotio per hanc methodum infantes et pueri gravibus adfectionibus rheumatico-catarrhalibus defatigantur.

Aliquibus individuis, ipsa electricitas et acupunctura in usum vocabantur, et candide fatendum est interdum hacce methodo aegrotantes ad pristinam sanitatem restitutos fuisse.

Convenit etiam sedulo causas morbi efficientes, quantum fieri potest, amovere, complicationem helminthicam opportunis medicaminibus tollere, et in puellis amenorrhoicis per aloetica, martialia, pediluvia sinapisata et hirudines ad inguinalia vel pudenda externa adplicitas catamenia sollicitare.

Morbi initio diaeta suadetur tenuis; in posterum pulmenta, carnes albae facilis digestionis et similia conceduntur. In pueris et adolescentibus, sedulo cavendum est ne aegrotantes onaniae aut veneri immaturae indulgeant.

Aer purus, exercitia gymnastica, et prae aliis itinera modica, vires exhaustas aegrotantium pedetentim recuperare possunt.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I. In pneumonitide lobulari hepar saepissime pati.

II. Choream S. Viti in irritatione cerebelli atque nervorum causam proximam agnoscere.

III. Dari quoque aberrationes in sonis cordis absque organica laesione hujusce visceris.

IV. *Alianthum glandulosam* nostris regionibus colendam

V. *Coccum cacti* in tussi convulsiva utile pharmacon.

VI. In phthisi confirmata prae aliis pharmacis lac et alimenta eupepta arridere.